

Quid vero ex his conjectes? Itaque ad ea, quae continet. Sunt vero D. Hieronymi Commentaria in XII. Prophetas minores membranis primis deperditis nunc ab his incipientia verbis: *Declinavit ab illis quia dominum reliquerunt* &c. quae sunt L. I. in *Oseam* c. 5. edit. *Vallarsii Tomo VI. col. 50.* Ordinem Prophetarum Codex hunc servat: *Oseas, Joel, Amos, Zacharias, Jonas, Malachias, Abdias, Michaeas, Naum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus*, atque hic Ordo nec canonicus, nec chronologicus est, si tempus expositionis spectes. *Zachariae* duplex data est Praefatio *fol. 78. p. 2.* Rubrica prioris est: *Praefatio in Zachariam prophetam. ad exuperium tolosanum episcopum.* Incipit haec Praefatio: *Secundo anno darii regis medorum aggeum et Zachariam prophetasse* &c. et habetur in *Bibliis glossatis*; tacetur vero, nescio cur, a *Vallarsio*. Posterior inscribitur: *Incipit secunda ad eundem*; illa videlicet: *Ultimo jam autumnii tempore* &c. quam solam *Vallarsius* produxit omissam in *Bibliis* mox dictis. Integer cetera Codex est, probaeque lectionis, graeca Textus vocabula plerumque literis etiam latinis supra lineas repraesentans.

CCCIII.

R. 3261 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 226. f. luculente et probe exaratus, minioque pernotatus hoc Rubrum praefert: *Incipit explanatio eusebii iberonimi*

*presbiteri super prophetas quinque. jobel. amos. zachariam. jonam. malachiam.* S. Patrem in exponendis XII. Prophetis minoribus non instituisse ordini, quo sibi succedunt in Bibliis, e propriis ejus verbis constat; quam vero rationem secutus sit, narrat *infra fol. 81. in Praef. L. III. in Amos.* Qui hic continentur, collati sunt a me cum T. VI. edit. *Vallarsii*. Integra sunt omnia tam quoad Praefationes, quam quoad ipsos Commentarios. Solus *Zacharias* claudicat. Imprimis enim Liber II. quem Edita a C. VI. v. 9. auspicantur, nobis a C. III. initium fumit, progrediturque usque ad v. 6. et 7. Dein ibi a verbis: *ab Angelo Domini haec dicta intelligunt quod* — abrumpitur non absque aberrationis indicio in Codice conspicuo, transfilitque continuo ad verba: *artandas plateas hominum multitudine* &c. quae ad C. VIII. v. 6. edit. *col. 841.* pertinent. Cum iis igitur, quae intermedia sunt, etiam Praefatio Libri II. deperiit. Lectio satis conspirat cum Editis. Graeca plerumque prave scripta sunt, quibus manus συγχρονος mederi cupiens literas latinas saepe parum feliciter imposuit. Ita in Praef. *Joelis* corruptum ψυλλεα jussit legi *fimea*.

CCCIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3059 XII. Folior. 139. f. per duas columnas bene scriptus, rubricis ornatus et olim, ut *fol. praevio* indicatur, *Pomerij montis*, id est, Coe-